

B. m. II, 153.
G. 41 A.

(X 187 7925)

II k
2582

O.A.M.D.G.

JUS PRINCIPIIS
CIRCA FODINAS
METALLICAS,
Suffragante Magnifico JCtorum

Senatu

Sub PRÆSIDIO

Viri Nobilissimi & Consultissimi

DN. GODOFREDI Strauß

JUR. LIC. Fautoris & Præceptoris

sui nunquam non colendissimi

Publicè defendendum


suscipiet

A U T O R

Curd von Eügow/

Eques Megapol.

In Auditorio JCtorum ad Diem 21. Maij.




WITTEBERGÆ, Literis JOHANNIS HAKEN.

M. DC. LXIX.

17. C. 7.

H. Brinzen Min.

12





I.N.D.N.J.C.

Procœmium.

Ræclarè ac sapienter.
sanè Principes in Republicâ Dii
terrestres salutari consveve-
runt: Divina quippe Majestas
Eis potestatem tribuit suppa-
rem illi , quam ipsa habet in u-
niversum terrarum orbem , ut eundem tanquā
Numina quædam gubernarent ; hinc & divi-
nas subirent vices , & jura in populum , & regio-
nes sibi subjectas exercecerent. Quin ut eo ma-
jore pollerent auctoritate , terrestrium Deorum
nomine Eos insignivit Divina Sapientia , quan-
do habet *Vos Dii estis & Filij Altissimi. Psalm. 82.*
Quod ipsæ , adeò agrestes , & ab omni ferè hu-
manitatis sensu remotæ gentes agnovisse viden-
tur , dum Divinæ Majestatis characterem Princi-
pibus suis impressum à multis retrò seculis ve-
nerant.

nerantur. Nec id quidem immerito : siquidem divini certè aliquid præferunt Princes, & tam ampla Eorum existit potentia, ut nō solum in Subditorum capita, sed bona etiam eorundem, certo tamen modo se diffundat: Tu Rex Regum es, & Deus cœli regnum, & fortitudinem, & imperium, & gloriam dedit tibi, & omnia in quibus habitant filii hominum, & bestiæ agri, lucres quoq; cœli dedit in manus tuas, & sub ditione tuâ universa constituit. Dan. 2. Id quod ex omnibus quoque Majestatis juribus demonstrari sat luculenter posset; sed instar omnium sit vectigalium exemplum. Quis enim dubitat pro mercibus importandis & exportandis vectigalium imponendorum augendorumque potestatem Imperanti competere ? Nam cum viarum regiarum, maris & fluminum tutela protectiove Principi potissimū incumbat, mirum non est, ea imponēdi, aliisque de novo cōcedendi, cætera etiam urgente necessitate augmentandi jus penes Eundē residere. Klock, *de Contrib. c. 3. n. 12. seqq.* In cūsultis hinc Principib⁹ nemini fas est vectigalia nova instituere l. 3. C. vectig. nov. Instit. non poſt, neque præcedentia reformare, nec iis addere quicquam vel diminuere l. 10. ff. *de publ. & vectig.*

dig. & commiss. Taceo quod penes Regnante m
stet utrum transitum per territorium suum aliis
dare velit nec ne : non enim majus jus domino
privati fundi, quā Principi territorii ratio permit
tit. Excell. Dn. Strauch. *in Disser. de imperio*
maris c.7. Ita porrò quis denegabit Majestati fa
cultatē imperandi tributa ? Certè ipsum Christi
Servatoris nostri testimonium instar omnium es
se potest, qui interrogatus an censum dare Cæ
sari liceret, respondit *Matt. 22 reddite ergo quæ*
sunt Cæsar, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Imo
Matth. 27. jussit Petro, ut staterem pro se & ipso
Petro solveret. Nec gratis hâc prærogativâ
Principes gaudent, multos enim tolerant pro
Rep., cuius curam gerunt, labores, Rebusque
publicis prospiciunt desudantes in executione
justitiæ, ut suum cuique reddatur, & nemini
inferatur vis, provinciam denique bello & ar
mis tuentur, ne à finitimis gentibus opprima
tur. Quidni ergo summo cum jure tributa &
vectigalia à populo exigerent ? Covarruv. *Tom.*
I. pag. 486. n. 5. At verò de venatione nihil dum
dixi; sanè eandem inter regalia ponere, ejusque
prohibendæ jus Principi competere soli, assere
re non veremur, idque frequentiori Dd. cal
culo receptum esse fatetur Covarruv. *cit. Tom. I.*

A 3

pag.



*pag 493. n. i. Régium quippe statum & splen-
drem decet, ne loca regiae venationi destinata a-
liis pateant, communiae sint. Ferd. de Castro
Palao Op. Moral. Tract. 31. Disp. un. punct. 13. n. 4.
Potest igitur Princeps propter potestatis suæ a-
xioma interdicere Subditis, ne laqueos ad fe-
ras, nisi ad ursos, apros, vel lupos capiendos
tendant, 2. F. 27. §. mercator. Quin imò & eorum
capturâ interdicere subditis potest : Ut multa
ergo paucis complectar cum Plin. in panegyr. eos
quid Cœsar non suum videat? cuius est quicquid est
omnium, tantum ipse quantum omnes habent. At-
que hæc adeò vera sunt, ut non infundis solum
publicis; sed & privatis facultas principalis se
sat abundè ostentet. In quarum rerum classem
jus circa fodinas metallicas non incommo-
dè refertur, cum id quoque Princeps pro libi-
tu sibi reservare soli, nec ullo communicare
modo subditis cogatur. Interim cum non pau-
ci subditorum etiam ejusmodi fodinas posside-
ant, de Disputationis argumento circumspici-
ens in hocce thema incidi. Ut verò eo com-
modius quem mihi proposui scopum attingā,
explicitâ primum fodinarum metallicarum na-
turâ, jus easdem habendi cui competit, usum
denique hodiernum modumque inquirendi
peni-*



pēnitius paulō expēndam. Aspira cœptis &
Luminis & Sapientiæ omnis Fons, quō illa felic
ius ad exoptatum finem provechantur!

ARTICULUS PRIMUS
Exhibens Quidditatem.

§. I.

Cum de negotio aliquo disserturum rem substratam habe
re perspectam oporteat, ne in limine statim hallucine
tur; et nobis de metalli fodinis acturis, quid per eas intelligi
velimus, annotandum est. Variè autem vocem illam Juris In
terpretes sumunt, à quibusdam enim ad auri tantum argenti
que redditus restringitur, in quorum numero etiam Wesenbeccius
est de Feud.c.12.n.5. & Cons.60. n.30. (qui tamen dissentientiū
numerum non augebit, si, juxta §.VI. hujus Artic. distingva
tur) solas auri & argenti fodinas ad regalia referens, & reli
quias ab iisdem separandas existimans. Latius deinde su
mitur à Luc. de Penn. & Rebuss. citatis à Fausto ab Aschaffen
burg Class.6. ord.562. Septem metallorum genera statuentibus;
Quibus ad stipulari hactenus haud placet, quin potius cum
Calvino in Lex. Jur.p.127. sub verb. metallum, Dn. Dietrich ad
A.B.c.9. & aliis latissimè fodinas metallicas accipimus, ut o
mnes cuiuscunque generis fuerint, suo ambitu cōprehendant,
quoniam plura esse metallorū genera ex jure communī mani
festū evadit, eoque pertinet quod Ictus Ulp. in l. aut damnum
§.9. est pæna. ff. de pæn. ait metallorum multa esse genera; id
quod ex A.B. quoq; evincitur c.9. §. presenti constitutione; ubi nō
auri, argenti, stanni, ferri, plumbi fit mentio; sed hæc gene
ralia annexūtur verba: & alteriç cuiuscunq; metalli. Potest enim
Princeps vi imperii fodinas sibi habere præcipuas, ita sinistra
foret interpretatio, si eidem auri solummodo & argenti fo
dinas attribuamus, alios autem æris, stanni, cupri, & cœterorū
metallorū proventus abjudicemus. Quid si enim fodinæ poste
riorum



riorum potius quam priorum metallorum feraces sint? meliorem profectò conditionem hac in parte subditorum, quam Principis efficeremus.

§. II. Huc quoque referenda est terra ruffa, & cineritia, in utrāque enim argentum invenitur, quod excoqui non potest, nisi cum plumbo nigro, aut cum venâ plumbi, quam galenam vocitant, & verò mixta argenti venis plerumque reperitur; quandoque in summa tellure rarâ invenitur felicitate, quamvis multa adhuc egeat curâ & elaboratione. Besold. in Thes. Pract. in voce Bergwerf. Quin & electrum, Germanis Bornstein quod Cornel. Tacitus glessum ab illis, à quibus legitur, vocari scribit, eò quod vitri instar fortassis pelluceat: nec minus alumen & sulphur, l 8 §. in Calcariam. ff. de pânis huc referenda veniunt.

§. III. Sed de antimonio vel argento vivo dubitari poterat, num sub ius fodinarum metallicarum cadat, ac eruere ex meditullio terræ licitum sit, cum diluendis poculis veneficis inserviat? At nec illa hic excludere necesse est. Præterquam enim quod nonnulli pharmacopolam quendam Turvisianum coram Principe & Proceribus Reip: Venetæ argentum vivum in aurum commutasse tradant, maximum quoque ex venis argenti vivi in Principem redundat commodum: nam adsolum Hispaniæ Regem ex ejus metalli preventu subterraneo tam ingens rediit lucrum, ut inde ad quadrageinta mille pondo, teste Dn. Caspar. Klock: Tract. de emer. lib: 2. cap: 33. n. 5. colligerentur. Veneriata etiam reddi salutaria possunt, inque omnibus metallis imperfectis illud reperitur, quæ eo nomine rejicere insubidum foret.

§. IV. Quemadmodum vero medii vel infimi generis Metalla ab hinc nō excludimus, ita multò minus pretiosi lapides, gemmæ & marmora ab his sequestranda sunt l. 3. §. lapidinas ff. de reb: eor: qvi sub: tut: quippe in metallis utilitas publica spectari solet l. 1. & t. 1: Cod: de metallis: Et prætereà in illis locis generaliter metallorum atque commodorum inde in rempublicam redundantium fit mentio, in lapidibus verò pretiosis insigne quoddam vertitur Reip: emolumentum.

mentuin. Quod de re sapienter differit Dn. Aschaffenb: Class:
14. Ord: 986: illud vetigalium genus Deo immortali gratissimum,
civitatibus pulcherrimum, Princibus honestissimum, plebi utilissimum
videtur, quod iis rebus imponitur, quae ad delicias civium & luxum
spectant: aurea inquam & argentea suppellex, gemmae margarita
cereraque generis ejusdem. Ut alias sicco pede præterea utili-
tates, quas medicinæ conferunt. Mathesius in Concl: 3. p: 39.
Edelgestein sind dienstlich zur Zierde und Nothdurst dieses le-
hens.

§. V. Porro de salinis non aliter ac aliis metalli fodi-
nis cum Knich: *De Sax: non provoc: Tur: c. 5. n. 119.* salem inter
metallorum species numerante sentimus, eas scilicet ad Prin-
cipes etiam spectare: quamvis enim de jure veteri salinæ pri-
vatorum quam diutissimè fuerint, in quorum fundis repertæ,
ita ut redditus tantum regalibus fuerint annumerati *l. forma 4.*
§. 7. de Censib: l. 5. §. 1. ff. de reb: eor: qui sub: tut: at tractu pau-
latim temporis prorsus ademptæ & fisco Principis addictæ
fuere c. un: quæ sint regal: Huc facit A. B. Caroli IV. d. c. 9.
ubi & fodinæ salis Electoribus conceduntur. Ex quibus lucu-
lenter satis demonstratur, Principi jus harum fodinarum
adhærere; nam si privatorum essent, quid opus, ut &
Majestate aliis concederentur? Immò diu ante prædictam A.
B. hoc jus salinarum Archiepiscopus Magdeburgensis ab Ot-
thone Imperatore mille ab hinc annis in excellentibus Hal-
lensibus saxonicis salinis impetravit Heig: Qvest: 13. n. 27. Un-
de sequitur salinas investigare, salemque confidere sine Prin-
cipis consensu beneficioque haudquam licere. Nitrum
quoq; hic aggregare non dubitamus, cum non detursal, in-
quo pli: mysteriorum quam in nitro reconditum deprehen-
datur, Neque exiguum ad salis nitrati Reges & Principes
propter insignem utilitatem adhibeant operam; tota enim
artigleria eo ninititur ad compositionem pulveris sclopeta-
rij. In Poloniâ & Marchia aliisque Germaniae lo-
cis opificium excoquendi aluminis; & præsertim halinitri
sumptu publico passim exercetur, Da in zwanzig und mehr.

B

Salpe.

Gaspeler-Sieder hin und wieder gehalten werden/ qvibus da-
tur fodiendi licentia, ubicunqve terra nitrosa invenitur, bo-
ni publici causâ Speid: in notabilibus Lit. S.n.13.

§. VI. Interim hic distingendum, utrum fodinarum
metallicarum consideratio extra jus civile & consuetudinem
spectetur, & tunc omnino latius illæ patent: utrum vero con-
suetudinis habeatur ratio, & tum sæpè metalla vel medii vel
infimi generis segregantur, nec præcisè Principi acquiruntur.
Hinc alii discrimen adstruunt inter fodinas ejusmodi vilio-
res, ut lapidum, aluminis, viatrioli &c: qvæ privatis permit-
tuntur, & præstantiores auri & argenti, qvæ ad Principes lo-
corum jure regalium petinent. Rationem reddit Rumelin
*ad A. B. B. c. 9. ex auro enim & argento monetam cudi, qvod
omnino jus est regale ossibus Principis cohærens, qvæ ratio
cum in aliis cesset, ceslare etiam ejusdem dispositionem.*
Consuetudo Andegavensis disponit aurum in metalli fodina
inventum Regi cedere, argentum vero vice Comiti vel Ba-
roni: atq; hæc ita observatur, qvoniam approbata est in Cu-
ria Parlamenti consentiente Generali Regis procuratore
Limnae: *ad A. B. cap: 9. obs: ii. Ita & in Calabriâ sunt venæ me-
tallicæ qvæ certo modo sunt Curiæ hoc est fisci. Sixt: de regal. l.
2.c.16.n.65. Quid in Lusitaniâ & regno Castellæ observetur vid.
Ludov: Molin: de just: & Jur: tract: 2. Disput: 54. n. 23. 4.*

ARTICULUS SECUNDUS

Exhibens diversa circa fodinas metallicas jura.

§. I.

Fodinas metallicas licetè acquiri posse non est cur dubite-
mus. Deus enim T. O. M. rerum omnium ex nihilo a se
cretarum Moderator, Arbitrus, ac Supremus Dominus, in-
signi divinæ liberalitatis, suique erga genus humanum amo-
ris indicio primo hominum pari terrarum omnino concessit
dominium: ita enim Gen. 9 legitur replete teram & subjicte-
cam

eam ; & dominamini universis animantibus : ut non solum quæ superficiem circumstant , quippe cuius fructus vitæ civili non sufficiebant ; sed etiam illa , quæ intra eam continentur , comprehendisse haut obscurè censeatur : quidni ergo indagare viscera terræ , ibidemque à Divinâ providentiâ reconditos thesauros eruere , & effodere in usum humanum liceat , in locis præsertim montosis , quæ variis metallorum & mineralium dotibus pro infinitâ suâ sapientiâ & bonitate dotavit & dedit sanctissimum Numen ? fabricavit Illud montes in sublimitatem cœli erectos , ut matrices essent , variarumq; divitiarum & bonorum receptacula ; corumq; propaginem suâ habet unus providentiâ conservavit & sartam tamque mirificè præsttit . Faust . ab Aschaffeb . Clas . 16 . ord . 110 . Accedit quod , cui tota subjicitur terra , eidem & partes l . 113 . de R . f . submissas esse necessum sit : omne enim nihil excludit juxta commune brocardicū . De fossilibus hisce Vir Dei sanctissimus Job post alia eleganter ait : 28 . V . 1 . 2 habet argentū egressus suos , & auro locus est in quo conflatur . Ferrum de terrā tollitur , & lapis es effundit . Immò in sacrīs à metallicis operis ad ecclesiasticas functiones pulcherrimæ deducuntur similitudines , & Deut . 8 . v . 9 . Populo Israëlitico inter alia divinæ benedictionis signa optimus metallorum proventus promittitur . Ex quibus omnibus colligere haut difficulter habemus , Divinum Numen fodinas quoque metallicas Adamo cōcessisse . Ad quid enim Benignissim⁹ Deus easdem creasset , nisi ad usum & utilitatē humanā ? Cum nihil frustra , nihilgratis fecisse intelligatur . Enimvero animata omnia dedit in manum primorum hominum Ter Almum Numen , uti in procēmio supra demonstratum , quomodo ergo inanimata tanquam ignobiliora exclusisse putabitur ?

S. II. Dum vero in primos parentes nostros fodinarum metallicarum transcripsit dominium , idem quoque per eos toti humano generi concessit : quorsum enim tot tamque vasta regionum spatia , tantus agrorum proventus , & dives adegō rerum omnium suppellex , si non plures quam duos divi-

na intuīta fuisse liberalitas? Et quid quæso apertius ipsa traditionis formulâ, in quâ concessioni potestatis subjiciendi orbem terrarum, benedictio divina, cuius virtute multiplicandum esset Genus humanum, expressè præmittitur? Excell. Dn. Leifer Patronus & Præceptor noster in *Disp. de propriet. rer. Th.* 7. Multiplicatis eâ de causâ & in vasta mundi spatha diffluentibus hominib⁹ dominii cōmunicare necesse fuit. Unde in proclivi est post primos parentes posteris etiā eorū jus fodinarū metallicarum esse permisum. Attamen dominium illud pro potentiali solummodo habendum fuit, ut jus saltem ad istud iis acquisitum sit. Actuale enim per occupationem ipsam insecurum est; ipsum siquidem factum à dominio excludendum haud putamus, videturque ipse verborum: *Subjicite eam modus ad factum ipsum non obscurè respicere.*

§. III. Atque sic fodinæ quoque rebus communibus accensendæ veniunt, eorumque illæ fiunt, qui primi possessiōnem earum per occupationem apprehenderint: quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur §. 12. *Instit. de R. D.* Ubi tamen omnino discriminem aliquod inter jus naturale permisivum & præceptivum asserendum est: namque res illæ communes non juri naturali præceptivo, alioquin contra illud peccare meritò dicendus esset, qui fodinas acquirere sibi nō laboraret, sed permisivo solummodo adscribuntur, ut cuique liberum relinqatur, easdem pro lubitu, quam diu in commune prostant, neque lex aliqua civilis intercedit, occupare. Ita jus Romanum res plurimas in illo primævo statu relinquebat, de quibus aliæ gentes aliud constituerunt. Quoties igitur lex civilis aliud statuit, eam observandam esse jus ipsum naturale dicitat, uti bene sentit Grot. lib. 2. de J. B. & pac. c. 2. n. 5. Quod enim ea quæ juris naturalis permisivi sunt, ab eo, qui legum ferendarum potestate gaudet, justâ de causâ immutari possint, omnium Moralistarum communis fert opinio.

§. IV. Cum igitur fodinæ metallicæ in primogeniâ suâ natura

naturā rebus communibus annumerentur, adeoque jure naturali, quod jus gentium appellatur §. II. Inst. de J. R. D. earum occupatio, omnibus fili permissa, ideoq; postquam Majestas rempublicam dedit, cædem arbitrio illius majestatis, quemadmodum cæteræ res communes, submittebantur. Sunt verò nonnulli qui ex codem nostro principio concludere satagunt; Principem fodinas sibi retinere soli, & Subditis earum inquisitionem prohibere haudquaquam posse, quod Principes nullam supra jus naturale ac Gentium habeant potestatem. Verum enim verò inhibitio ista cum juris naturalis dispositione minimè pugnat, neque enim imperantes dominia licitâ occupatione quæsita Subditis hoc ipso adimunt; Sed occupationem potius illicitam reddunt Excell. Dn. Leiser in d. Diff. de propr. rer. Tb. 10. Ut usque adeò nihil quicquam contra jus naturale committant, Regnantes enim quanquam nihil præcipere possint quod jus naturæ prohibet, aut prohibere quod præcipit; possunt tamen libertatē naturalem circumscribere, & inhibere quod naturaliter licet, & ipsum ita Dominium naturaliter acquirendum vi potestatis suæ anteverttere. Grot. cir. loc. siqvidem Illis dehis, qvæ juris uaturalis permisivi sunt, dispositio relicta est.

§. V. Repetimus ergò perspicuitatis gratiâ, qvod modo monebamus, dupliciter aliquid esse juris naturæ, uti Zöel: in ff. de J. & J. n. 51. declarat, nimirū positivè, qvando lex naturalis qvippiam præcipit, qvod morum honestatem; vel etiam qvod turpitudinem ab se spirat, prohibet: & permisivè seu, negativè, qvando jus naturale nec præcipit actum nec prohibet; sed permittit tantummodo. Cujus ordinis est libertas &c: qvæ humani arbitrii dispositioni pro exigente suâ cōmoditate relicta sunt. Hinc etiā est, qvod potestas publica sub quibusdam terminis ac limitibus venationem prohibere queat; exemplo inservit ferarum, volucrum, & animalium cæterorum acquisitio, qvæ qvam vis juri naturali transscribatur; non tamen positivè id fit, qvæsi jubente ratione, omnium propria illa sint: sed negativè, quatenus nullius sunt, & jure naturali eorum occupatio non iusta deprehenditur. Hinc argumentatio illa, hoc est jure naturali permisum, ergo per

legem humānam prohiberi non potest, nihil conficit; ne-
ganda enim est consequentia, qvia multa jure naturali sunt
licita, qvæ inspectâ Reipubl: utilitate, & iuxta æquissimum
communitatis regimen per legem humanam interdici pos-
sunt. Covar: Tom. I. p: 493. In qvorum numero etiam fodi-
næ recensentur, qvæ eodem quoque modo inhiberi queunt;
qvod si verò juris naturalis præceptivi essent, illicò seqvere-
tur, earum iudicationem omnibus liberè relinqvendam. In-
terim circa hoc jus suum ita se gessere Principes, ut mox ipsi
usurparint, mox iterum pro derelicto habentes subditis non
secus ac extra Rempub: reliquerint.

§. VI. Id qvod jure civili factum esse novimus, siqvi-
dein eadem fodinæ in privatorum hominum patrimonium
cessisse constat ex l. scijus 13. § inde s. de Uso fr. l. fructus 7. §. 14. Id
qvod Tacitus Annal: l. 6. c. 19. confirmat, dum Tiberium Im-
peratorem publicatis sexti Marii bonis aurarias ejus sibimet
seposuisse ait. Hodie verò regalibus accensentur. 2. Feud: 56.
Cum enim metalla dicantur præcipua esse virtutis naturæ spe-
cimina, Principes summi semper sibi jura certa & particula-
ria, non solum in thesauros; sed etiam metalli fodinas reser-
rant. Imperator Tartarorum insigniores sibi lapides
pretiosos, qvos communi nomine turcicos appellamus,
attribuit. Reges Bisnagæ, qvorum in terris insignes
reperiuntur adamantes, ex illis sibimet omnes pondus centum
& quindecim granorum excedentes retinent Limn: ad A. B.,
e. g. obser: 2. p: m. 339. In imperio autē nostro Germanico minus
dubii habet: nam ex cit: Bullâ Carolinâ id ipsum manifestè
fatis patet. Cui accedit Heinrici: VI. Romanorum Regis ef-
fatum [in privilegio Anno 1129, Episcopo Mindensi conces-
so] ait namq; Imperator: cum omnis argenti fodina ad jura per-
tineat imperii, & inter regalia nostra sit computata, nulli venit in
dubium, qvinea que nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa,
ad nostram totaliter spectet distributionem: Unde in ea nulli homi-
num qvicquam juris recognoscimus, nisi hoc à nostrâ libertate va-
leat specialiter impetrare. Hinc de notoriâ Germaniæ consve-
tudine nemo, qvæcumque metalla qvætere & fodere ne iu suo
quis

qvidem potest, absqve concessione & permissione Principis;
Cujus est territorium Knich: de Sax: non prouoc: jur: c. 5. n. 125
Sixt: lib: 2. c. 16. n. 59. idem qvoqve jure obtinet Saxonico Land.
lib: 1. Art. 53. Ubi omnes thesauri reconditi, qvos non attin-
git aratrum, juribus Regis adscribuntur.

§. VII. Sed dubium hic oriri poterat: utrum ille textus
de metalli fodinis an thesauris potius accipiendus? Et sanè
interpretes juris Saxonici textū hūc ad juris æquitatē reduc-
tri, de fodinis metallicis interpretati sunt. Zob. in Addit.
margin. ad Text. b. Heig. Quest. 13. n. 32. & seq. eorumqz
sententiam Illustiss. Elector. Sax. Augustus in Novell. suis part. 2.
Const. 53. confirmavit: Weil der Text in den Worten / von
allen Schäzen so unter der Erden &c. nicht von den
thesauris reconditis; sondern von den Bergwerck und
Erz zu verstehen / so lassen wir Unz solches auch gefallen / &c.
Meminit quidem Reinhard. cit. ab Heig. Quest. 13. n. 34. ex in-
veteratâ Saxoniz consuetudine receptum esse, ut viliora me-
talla aurum & argentum, quod æri, stanno &c. admixtum est
superantia cum omnibus commoditatibus domino fundi ce-
dant, si vero aurum argentumque seu copiâ seu valore viliora
superet metalla tum demum ad Principem, omnem specta-
re utilitatem. Attamen probari haud posse consuetudinem
eam, nec facile admittendam contra ordinationem A. B. in-
quit Carpzov. defn. for. Const. 53. def. 2.

§. VIII. Atque ita sat abundè fodinas regalibus annu-
merari constat. Non desunt autem interpretes, qui hoc i-
psum ratione pensionum Principibus exsolvendarum saltem
procedere autem, reliquam verò utilitatem, nec minus
fodiendi scrutandiqe etiam in fundo alieno, facultatem sub-
ditis transcribant. Verum reclamare generalem ac noto-
riam Germaniz consuetudinem & secundum eam metalli fo-
dinis simpliciter inter regalia numerari tradit. Carpzov. cit.
const. 53. def. 1. Adeo ut nemini, ne in proprio quidem fundo
inquirere fodinas liceat, nisi de hoc expresse sit investitus

idqve



idque specialiter à Principe impetraverit. Wo einer ein Bergwerck haben wil/ so muß er von der Räys. Maj. oder den jenigen/ so es die Räys. Maj. zu Lehen hat geliehen/ gelehnet seyn/ wie es die beschriebene und auch zum theil die/die öffentliche Gemeine Gewohnheit/und Gebräuche/über Menschen Gedanken eingefüret / bewahren/ und sonderlich in Deutscher Nation also üblich gehalten wird/ daß niemand Metall oder Bergwerck/ auch in seinen eigenthümlichen Gütern/Gruinden und Aeckern ohne vorhergehende Lehen suchen / noch graben mag/ ut videre licet : in der Thur und Fürsten zu Sachsen / Mansfeldischen / Hohensteinischen / Stollbergischen / Goslarischen und andern Bergwerken. Schultz in Synops. jur. Feud. c. 7. p. m. 326. Proinde quamvis de omnibus utilitatibus sit investitus , non tamen metallorum sibi vindicandorum potestate gaudere intelligitur , nisi de iis expresse investitus fuerit , siquidem de regalibus sunt , quæ tantum privilegio aut præscriptione immemoriali hodie acquiruntur Heig. Quæst. 13. n. 30.

§. IX. Atque ut thesin ad hypothesin , antequam ad cætra digrediamur , hic statim transferamus ; quis tam ignarus rerum & iniqvis earum æstimator existit , qvi non perswasissimum sibi habeat , ea qvæ hactenus dicta , etiam de potentissimo nostro Saxoniæ Electore , optimo jure adstrui posse ? Eiusque potestatem ad omnes metalli fodinas non in publico tantum ; sed & privato fundo existentes sese pretendere ? gaudet etenim jure superioritatis , vi cuius tantum potest in suo territorio , quantum Imperator in imperio . Qvod ipsum qvidem multis demonstrare supervacaneum duco , ne illud in dubium revocare videar incautè , qvod extra omnem dubitationis aleam positum novimus . Unicum saltem A. B. textum addaciam , ubi Regi Bohemiæ cæterisq; E. E. tam Ecclesiasticis qvam secularibus universas metalli fodinas possidendi potestas ab Imperatore tribuitur : ita enim verba sonant : *Præsentis constitutione in perpetuum valitura , statuimus , ac de certâ sciencia .*

riā declaramus, quod successores nostri Bohemiae Reges, nec non u-
niversi & singuli Principes Electores, Ecclesiastici & seculares, qui
perpetuō fuerint, universas auri & argenti fodinas, atq; minerarū
stanni, cupri, ferri, plumbi, & alterius cujuscunque generis metal-
lē, ac etiam salis, tam inventas, quam inveniendas im posterum qui-
buscunq; temporibus, in regno prædicto, ac terris & pertinentiis ei-
dem regno subjectis; nec non supra dicti Principes in principatibus,
terris, dominiis, & pertinentiis suis, tenere justē possint, & legitimē
possidere, cum omnibus juribus, nullo prorsus excepto, prout possunt,
seu conservērunt talia possideri. Nunc verò cum fodinæ me-
tallicæ omnibus omnino concedantur Electoribus, omni
procul dubio nostro etiam clementissimo Electori, easdem
cum omnibus juribus collatas esse clarissimè elucescit.

S. X. Cū igitur salinas ad regalia pertinere statuimus, ut
ti supra ostensum; nec harum proventum absque spe-
ciali Principis concessione in fundo suo sibi attribuere subditus
poterit, idque propter A. B, in quā expressis verbis idem
jus salinarum Electoribus confertur; et Maximilianus Im-
perator in dem Vertrag de Anno 1574. zwischen Königl.
Maj. und den Ständen / in Böhmen die Bergwerck und
Metall belangend/ Salinas tam in suis, quam aliorum fun-
dis sibi expressè reservavit, iuquiens: Was die Salz-
Bergwercke/es sey an Salzstein/oder Salzbrunnen/anlan-
get/ die wollen wir Uns und unsren Nachkommen/ den König-
gen zu Böhmen / als ein hohes Privilegirtes Königliches
regal in alle weg/es sey auff unsren eigenen/oder der Stände
Gründē/zuunsfern selbst Gebrauch/Verleyhūg üd Genieß frey
vorbehalten und aufgezogen haben. Atq; hoc jus sub Francisco
I. jam Coronæ fuit unitum, ita ut Rex quotannis 20. millio-
nes libr. consecutus fuerit. Spreng. Jurispr. publ. p. m. 210. His
& aliis sine dubio fundamentis motus potentissimus quidam,
uti Arumx. ad A.B. c. 9. inquit, Elector salis fodinam nuper
in privati agro in ditionibus suis sito inventam sibi de jure af-
seruit. Merito igitur (pergit Autor) ab illorum sententiā
cavendum est, qui fodinas in agris privatorum repertas ad

C

pro-

proprietatis dominos pertinere, solutâ tantum Electoribns decimâ metallorum parte, contendunt. Concessio namque ab Imperatore Electoribus eo modo facta est, quo ipse fodinarum metallicarum proventum habuit.

§. XI. Proinde merito metallicarum fodinarum perceptiones regalibus adscripserunt regnantes, cum ut supra pluribus ostensum, rerum communium occupationem justâ ex causâ privatis interdicere Princeps potis sit. Neque enim eo ipso juri naturali adversatur; sed acquisitionem rerum in nullius dominio existentium, idem antevertit. Attamen si Princeps privatis metalli fodinas semel indulserit, sine causa (ex justâ enim ratione id ipsum posse Regentem nulli dubitamus) eas subditis afferre haudquam valet, quod enim semel placuit amplius displicere non debet Cap. 21. de R. J. in 6. Nec ullus mutare consilium suum in alterius injuriam potest. L. 75. de R. J. jam verò maximam subditis irrogaret injuriam, si ea quæ semel iisdem concessit privilegia, revocaret. Atque ad hunc respectum Tiraquell. de Nobil. c. 37. n. 140. & Rebuff. L. un. ad cod. de Ven. fer. sententiæ coarctandæ veniunt, statuentiū Principes afferre subditis fodinas non posse, cū ita jus subditis quæsitū tolleretur: idque verū est, et si gratis collata fuerint, multò minus ergo rescindere potest, si ob causam & per modum contractus concessa sint, quia tum irrevocabilia censentur. Contractus enim à Principe cum subditis initus servetur oportet, neque ex plenitudine etiam potestatis potest irritari, & si contrarium fecerit Princeps potestate sua abuti dicetur, eritque potius plenitudo tempestatis quam potestatis, & quem esse Präfulem justitiæ oportebat, tanquam exul esse videbitur. Nam & in Principe constans debet esse voluntas & immota, quemadmodum lapis angularis & polis cœli Carpz. de l. reg. c. 3. sect. 14. n. 11. 12. Unde eleganter Jacob Andr. Crusius ex Zaf. de domin. Emin. c. 15 p. 98. Principem ita ad revocationem privilegii adducendum esse, ut aliquid sit, ob quod à levitate & inconstantia excusat. Huc spectat istud Symmachi: omnia regitis, sed suum cuique servatis; plusque apud vos justitia quam licentia valet.

§. XII.

§. XII. Ad ultimum de lapicidinis aluminis victrioli
aliusque vilioris metalli fodinis quid sentis? putaverim loci
consuetudines esse inspiciendas? siqvidem eadem non ubi-
que locorum inter regalia referuntur. In ditione Saxo-
nica & qvibusdam aliis Germaniae locis lapicidinæ sine speci-
ali etiam concessione ad fundi dominum & Vasallum non
verò ad Principem aut dominum superiorem spectant Carpz.
Jurispr: forens: part. 2. Const: 53. def: 3. De ferri fodinis Anno.
77. in aulâ Electoris Saxonie cum nobilis quidam de regalibus
nominatim non investitus, in fundo suo inventas aliis certo
pretio elocaverat excolendas, dubitatum fuit: utrum inter
ragalia numerandæ essent, & in Concilio Aulico contrarium
pronunciatum fuit, eâ potissimum de causâ qvod ex manife-
stâ atq; notariâ illius provincie consuetudine nobilibus aliis-
que privatis ejusmodi fodinas in fundis propriis repertas
absq; ullo decimarum onere excolere liceat, et si de illis ex-
pressè investiti non fuerint Rauchb: part: 1. Qvest: 22. n. 9.
Hinc colligere haud difficulter habeo, quod generalis cōsve-
tudo, qvâ nemini querere & fodere metalla permittitur, re-
stringatur qvandoq;, ut ita mores cujusque loci, qvi Cyno-
suram suggesterunt, potissimum sint inspiciendi Interim & has
memoratas fodinas, noviter scilicet inventas suo Princeps
imperio adjicere potis est, ex rationibus supra allatis, cui e-
nim magis concessum est, ei non debet id qvod minus est non
licere l 23. de R.J.

ARTICULUS TERTIUS

Exibens modum inquirendi.

§. I. Felix & fortunata ea merito censetur esse Res-
publica, qvæ metallis abundat, usu namq; compertum est,
eorum proventum maximum afferre Reip: emolumentum,
ut recte dicat Faust: ab Aschaff: clas: 20. ord: 1586. fodinas
metallicas cor & vitam provincie existere, civitates peperisse,
partas amplificasse atq; illustrasse, opibus auxisse, nobilitatem
fecisse nobiliorem, evexisse Principes Celsissimos pariter ac Il-
lustrissimos, iisq; incrementa, gloriam, dignitatem, ampli-
tudi-

tudinemque suam eouulisse; universo denique Romano impē-
tio magnis necessitatibus presso suppetias p̄st̄tisse. Quanta ex
iisdem opulentia fisco Potentissimi Electoris Saxonie accedat,
vel ex solā fodinā quæ Schnebergæ est patescit, nam tantum ar-
genti nusquam ulla vena fudit, quantum D. Georgii. I. Schne-
bergenses. Fodinam etiam hanc fama de Alberti ducis Sax-
mensā nobilitavit, hic enim Princeps illectus magnitudine ar-
genti stipatus Consiliariis in fodinam istam descendisse, super-
que mensam istam argenteam cibum cepisse fertur Limn: ad A.
B.c.9. ob 1: 8.

§. II. Cum ergo tantum sit fodinarum metallicarum
commodum hinc meritò reprimendi sunt, qui aut supervacuè
aut in ruinam hominum ea indagata esse existimant, &
innocentem ac beatam, immò delicatam vitam fore opinan-
tur, si nihil aliud, quam quod supra terras se exserit, homines
concupiscerent. Aurum enim venenum secum ferre, corda
hominum enecans, & contagione suâ in animas hominum ma-
xime innocuas s̄eviens, easdem ad luculentiores pompæ appa-
ratus existimulare quidam obvertunt. Verum enim verò sicut
abusus rerum Substantiam non tollit, ita nec usum tollere de-
bet. Recte enim Poëta:

Sic animis accepta malis sanctissima quæque
Munera degenerant lethalibus æqua venenis

Nc dicam cum Heig: Q. 13. n. 1. seqq. injurios ejusmodi a-
ericulos esse in Creatorem, qui nihil frustra vel male fecisse po-
tuit, cum sit ipsa sanctitas & sapientia. Sunt ergo venæ & cu-
niculi Dona Dei singularia quæ precibus impetrantur, indu-
striaque conservantur & propagantur, uti Dn. Aschaff: Clas: 16.
Ord: 110. non inconcinnè ait. Attamen sicut thesauri per illi-
cia media legibus odiosa quærendi non sunt l. un: C. de Thes:
Ita nec fodinæ iisdem artibus aperiendæ, neque enim unquam
facienda mala, ut inde bona eveniant.

§. III. Unde in proclivi est, spectra ad locum aliquem
ductura seqvi non oportere nec si locum ubi metalla
recondita jacent, monstrarint, facile eam ob rem fodiendum
illum esse; nam cum omnis moralis actionis bonitas ac deprava-
tio ex fine, illiq; annexis mediis estimari potissimum soleat,
sinist^o

finistro modo incedere dicetur is, qui haec viâ metallâ investigare laborat: Cacodæminem namque ducem sortitur, qui hominum animos speciosâ lucri spe inflatos, ad sui obsequium irritat, ut nec finis suâ satis gaudeat honestate, eum sequentem sacra auri cupido vexet. Huc facit exemplum præsbyteri ex C.
2. X. de sortileg: Qui cum infami quodam ad privatum locum non quidem dæmonium vocatus sed per inspectionem astrolabii furtū cuiusdam Ecclesiæ recuperatus accessit, & tamen, quamvis id ipsum ex bono zelo atque simplicitate fecisse dicatur, non tamen modicam inde peccati maculam contraxisse idem perhibetur; siquidem per media illicita ad finem prohibitum festinavit. Cæterum quid homini crebrius à spectro aliquo solicitato faciendum, Theologis, ne falcam in alienam immittere messem videamus, considerandum relinqimus.

§. IV. Econtrario diversum statuunt alii de virgulâ fortunata, Germ: Wündschel-Ruthe/ quæ ex novello germine, & quidem supremo cacumine bifido coryli vel amygdali conficitur, spirituosa & ignea naturæ, quia radices ejusmodi arborum succum sibi convenientem mineralibusq; analogum è mineris exugunt, ut ea adhibitâ illicitis mediis neutiquâ inventæ intelligentur metallorum venæ. Non diffitentur eqvidem haud paucos malitiæ præfractæ homines reperiri, qui naturæ prætextu ad occultandam nequitiam suam nefariè abutantur: attrahens nihilominus etiam sine Magicis artibus annexis, metallum reconditum virgulam illam ad se traxisse experientiam rerum magistrum passim testari asseverant. Neq; n. sceleratis puniendisq; sacrificiis, nec alii cuilibet arti legibus odiosæ accenseri posse; sed naturæ potius suam acceptam referre operationem; cum in illius mysteriis multa lateant abdita, quorum tamen obscuræ sint causæ, & adeò occultæ, ut percipi à nemine possint, nullaque certâ ratione comprehendi. Hinc ad occultam aliquam qualitatem rem redire, neque doctrinam earum asylum ignorantiae esse, (dicente de existentiâ occultarum Qualitatum B. Sperling. in Inst. Phys. L. 2.c. 3. præc. 9.) atque hinc ad

Sympathias & antipathias recurrentum ; & quemadmodum
canem fugiat lepus, felem mus accipitrem columba , ex adver-
so ferrum magneti svavi adhærescat complexu , ignis igni mu-
tuuo velut connubio associetur , flamma minor ad majorem , si-
mile ad simile tendat : Ita quoque virgulas divinitorias ob-
occultam aliquam cognitionem in amicissimos metalli ample-
xus concedere arguunt.

§. V. Verum vix est , ut hæc sententia sustineri queat .
Silet scriptura , silet naturæ liber , ex quibus tamen scientia o-
mnis in rebus naturalibus dependet . Deficit naturalis in vir-
gula Mercuriali qualitas , quia hæc à se & semper operatur , si
nihil impedimenti fuerit injectum : Atqui virgula hæc ne-
que à se , nec semper agit . neque enim petit metallum sola , sed
homine demùm interveniente , & quidem non quolibet ; sed
illo saltem , cui tam felici esse datur . Quinimò nunquam
fertur in metallum semper , nam posita licet juxta illud quam
proximè friget amor , cessat amplexus . Ast quid ad occultā qua-
litatē non sapit . Quod si enim ex ea vis virgulæ procederet ,
hæc etiam ageret nondum à stipite resciissa , quia tum adhuc
esset majoris virtutis : sed v. id nuspian compertum hactenus
fuit . Nec igitur sympathias prætextus rem absolvet , siqui-
dem ista ex duobus similibus pullulat , quorum amor se exse-
rit , ubicunque demum adfuerint . Ita rectè dictum magne-
tem ferrum trahere & svavi exosculari amplexu , anne v. & ita
divinatoria virgula ? experientia ipsa reclamat , ex omnium
n. ut modò dictum hominum manibus non prolabitur in me-
tallum , sed quorundam saltem . Inquis : temperamenti di-
versitatem obstat universali virgulæ actioni , siquidem ab illo
effectus perticæ hujus mirificæ procuditur . At tu quodnam
hic mihi temperamentum , qualem effectum singis ? Ergone
illa qualitas egreditur è manu , & aget in virgulam ? Tum
verò novâ philosophandi ratione statues , accidens migrare
è subjecto in subjectum . Vereor igitur valdè ne ex Diaboli

mil-



mille artificis præstigiis ejusmodi effectus promanet , consulat quisque suam conscientiam , conf. B. Sperling. in disp. Philos. An virgula Mercurialis agat ex occulta qualitate & olim hic habita , th. 13. seqq.

§.VI. Illud tandem sub incūdem controversiæ revocari poterat , utrum Princeps summis Reip. gubernaculis assidens , subditos suos refragantes & invitatos cogere ad inquirendas metallorum venas possit ? dubitare sane non sine ratione licuerit , quotus enim quisque ignorat rem eam maximi plenam periculi existere , adeo ut præsentissimum mortis non raro discrimen post se trahat ? Quā sæpè cū fœtore illo maligno mortis quasi materiā hauriunt scrutatores ? quā sæpè spectra eorundem oculis & auribus terrorem immanissimum offundunt ? Taceo instabiem ipsius terræ conditionem , quæ obruere ex facili imprudentes potest . Quicquid tamen ejus sit , potest Princeps cogere etiam subditos ad fodinas metallicas aperiendas . Præterquam enim quod D. T. O. M. totum terrarum orbem , & ita intra terram contenta in manum hominibus dederit , fodinarum etiam metallicarum usus maximum Reip. confert emolumentum ut ex summa etiam qua pollet potestate in capita subditorum princeps injungere possit eisdem , quæcunque non illicita . Ita & in aciem educere subditos Princeps valet , quidni ergo & ad æra quærenda mittere ? utrumque enim non semel Reip. necessitas effagit , & sicut sine exercitu non potest bellum geri , ita nec sustentari sine pecunia : hujus vero materies ex fodinis eruitur . Dehinc & ex bestiarum venatione eadem ferme , si non majora mala metuenda veniunt : ergone ideo illa est eliminanda & cum tamen ipsius intermissione valdè in publicum noceat , & ut multa paucis comprehendam , plurimæ hominum actiones periculo sunt expositæ , utpote ædium , turrium &c. quarum ædificationem nemo ex hoc capite damnabit . Nec vero quod interdum & ex accidenti evenit , actionem & coactionem Principis statim reddet illicitam . Interim ex officio suo faciet Princeps , si non tam imperio adigat quam mercede , & præmio alliceat subditos ad inquirendas metallarum venas . Hoc vero pacto magis concilia-

adver-
ni mu-
m , si-
ias ob-
imple-
queat.
ntia o-
n vir-
ur , si
ec ne-
la, sed
t ; sed
quam
quam
ā qua-
deret ,
adhuc
ctenus
siqui-
e exse-
nagne-
. & ita
nium
in me-
nti di-
ab illo
odnam
Ergone
Tum
grare
Diaboli
mil-



QH 772.58e

ellabat sibi parentium animos. Quin imo delinquentes quoque ad ejusmodi opera condemnare vi jurisdictionis suæ imperantes possunt. Ego vero filum hic abrumpo, & quamvis exactio rem curam hocce thema desiderare non ignorem; en & temporis penuriâ & chartæ angustiâ exclusus nec elimate commodius, nec dilatare potui, reliquos vero errores, ingenii ruditas, judiciique imbecillitas cordatioribus facile excusabunt. Tibi vero omnipotens Deus sit gloria sempiterna.



Generose Lützovi

Quanto ego gaudio perfundar, quod Te differentem ex cathedrâ publicè sistas, non idicto sat exprimere valeo. Præterquam enim, quod Illustriſſ. Patruo mirificè sis placitus hoc tuo specimine; id abs se equidem omnem meretur laudem. Scilicet non possunt delitescere diu generosæ indoles, aspirant ad ardua citius, nihil intentatum nihilque inaccessum relinquentes. Quid n. de singulari tuâ eruditione, quid de modestiâ dicam Amicissime Lützovi? quibus ita præstas, ut certare cū plurimis de utriusque laude per facile possis. Accedit sincera ac candida mens, remota ab omni reconditâ ac fallaci fraude. Id quod vel unicè animis Tibi conciliandis sufficit. Gratulor ergo impense Tibi de hisce tuis profectibus egregiis, precatus ex animo ab Almo Numine prospera tibi omnia in futuros studiorum successus. Eò enim fiet, ut si quâ hactenus fuisti diligentia, cœpta pergas ad summa honorum culmina brevi sis emicaturus. Vale.

Dabam ex meo Museo volante
calamodie 18. Maij 1668.

PRÆSES.



IV C
b77

B. m. II, 153.
G. 41, H.

JUS
CIR

Suffrag

DN. G.
JUR. I.



877925

II K
2582

IPIS
NAS

Ctorum

imi
Strauß
ceptoris
ni

Maij.



HAKEN.

H. Beiningen Min.

No.

17. C. 7.